



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Secunda Pars

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

II. concessum vide apud Melchiorem Goldastum ab Haiminsfelt. in Reichshandlung fol. 166. seq.

- (f) Annulus & insignia Magistro non sunt hic tradita, ritu quodam creandi Principes, de quali ritu intelligenda sunt illa Saxonis Grammatici, quando dicit; *Fridericus Barbarossa Boguslaum & Casimirum datis solenniter aqvilis Slavia* (i. e. Pomerania) *Duces appellavit.* lib. XV. *Hist. Dan. fol. 371. Edit. Hafn. Stephani Stephani,* ut & illa quando Investitura Episcoporum dicitur fieri per annulum & Baculum. Sed annulus datus est Magistro, ut ipse & successores ejus annulo hoc uterentur, semperque in Electione novo Magistro annulus ille insignum Magisterii traderetur, ut patet ex Privilegio quodam Ordini, ab Honorio III. Pontifice anno 4. Pontificatus. 8. Cal. Januar. concessio. *Conf. & Consuetud. Ordinis à num. 1. ad X.* Aquila quoque data est Ordini eo fine, ut illa in suis insignibus uteretur, quod etiam factum esse testantur Insignia Ordinis Teutonici.

INCIPIT SECUNDA PARS.

CAPIT I.

De

*Adventu Fratrum Domus Teutonicæ
in Terram Pruschia.*

De

*Vastatione Terræ Colmensis per
Pruthenos.*

Tempore quo Nobilis ille ac Illustris Christianissimus Princeps (a) Conradus Dux Principatum tenuit in Masovia, Cujavia & Polonia, fuit quidam Episcopus de Pruschia (b) Christianus nomine, Ordinis Cisterciensis qui divini verbi semen sapius sparsit inter Pruthenos, exhortans eos, ut relicta Idololatria Deum verum colerent Jesum Christum. Sed quia hoc se-

men

men cecidit in terram non bonam, fructum nullum fecit. Tantum enim erant obstinati in malitia sua, quod nulla monita salutis eos ab infidelitatis suæ errore poterant revocare. Unum fuit in eis factum laudabile & multipliciter commendandum, quod licet ipsi essent infideles & diversos Deos colerent, pacem cum Christianis Vicinis nilominus habuerunt, nec eos in cultura Dei vivi impediabant, nec aliquaviter molestabant. Sed hoc inimicus humani generis pacis æmulus non diu sustinens super seminavit Zizania. Excitavit enim persecutionem (c) durissimam inter eos, ut intra paucos Annos Christi fidelibus partim trucidatis, quibusdam captis & infervitatem perpetuam deductis paucis fugæ præsidio salvatis terram Colmensem penitus destruantes in solitudinem redegerent.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. I.

(a) In sequentibus Conradum Ducem Masoviæ semper nominat Ducem Poloniae. Causa sine dubio hæc est. Occisio in Comitibus Gansaviensibus à Syverlopelco Pomeraniæ Duce, Lesco Albò, Conradi hujus fratre circa An. 1226. Placuit Polonis Principatum Poloniae ad Lesco Albi filium Boleslaum, qui deinde dictus est Pudicus, deferre. Cum autem Principatui per se administrando nondum esset aptus, consultatum est inter Proceres Poloniae, cui nam tutela Boleslai esset committenda. Quidam favebant Conrado Masoviæ Duci Patruo Boleslai hujus; major verò pars Henrico Barbato Duci Wratislaviensium tutelam commisit. Hinc bellum inter Henricum & Conradum de tutela gestum, in quo bis Conradum profligavit Henricus. Sed cum incautius ageret, captus ipse est à Conrado. Hedvigis Conjux Henrici de captivitate mariti certior facta, in Masoviam contendit, cujus precibus emollitus Conradus Henricum è custodia dimisit, postquam ille interposito jurejurando principatus administratione sese abdicasset. Ex eo tempore Conradus Principatum Minoris Poloniae ad-

ministrare cepit. Sed postea circa An. 1234. vicissim eiectus est ab Henrico. Quoniam itaqve Conradus in Minori Polonia per aliquod tempus pro tutore & Principe sese gessit, ideo, Ducem Poloniae ipsum nominat Dusburgius. Conferatur Martinus Cromerus *lib. VIII. de Ortu & Reb. Gest. Polon. princ.*

(b) Addit Jeroschinus Christianum hunc à Papa fuisse missum ad convertendos Prussos. Idem habet Author Chronici Germanici antiqui in 4. qui vixisse videtur sub Paulo Bellizero à Rusdorff Magistro Generali Prussiae. Idem ex Scriptoribus exteris innuit Autor Chronici montis sereni *ad An. 1215. pag. 109.* Edit. Joach. Johan. Maderi, quando dicit: *Christianus primus post beatum Adalbertum genti Prutenorum Episcopus consecratus est.*

(c) Causam bellis Prussicis Historici recentiores Conradum Masovia Ducem præbuisse referunt. Educaverat Conradum Christianus Palatinus Plocensis, eumque sæpius enormium flagitiorum causa reprehenderat. Conradus verò harum reprehensionum tandem pertæsus, primò Christianum oculis privavit, tandem etiam è medio sustulit. Hoc facinus ulturi Prussi, arma in Conradum corripunt Masoviamque miserè vastant. Hæc Scriptores nostri, penes quos sit hujus rei fides. Aliam causam æque probabilem vide apud D. Coelestinum Misleniam *in Prolegomen. ad Manuale Prutenicum.*

CAP. II.

De

Vastatione Terræ Polonicae.

ET quia idem Dux principiis non obstitit, nec contra violentos ipsorum ausus & conamina remedium adhibuit opportunum, ad ulteriora & deteriora procedentes invaserunt terram Poloniae cum magnâ potentiâ pugnatorum, tot vicibus & tanta damna intulerunt ei, quod combustis ædificiis homines ætatis adultæ percusserunt gladio & mulieres & parvulos in servitutem perduxerunt, & si fortè aliqua matrona gravida in par-

tu ipsos sequi non poterat, eam occiderunt, rapientes etiam infantes de brachiis matrum, infigendo in sudes sepium interfecerunt. Sicque terram adeo vastaverunt, quod de omnibus munitionibus & castris Ducatus sui non remansit ei, nisi unum Castrum situm super fluvium Wisle, quod Ploczke dicebatur. Insuper CCL. Ecclesias Parochiales præter monasteria regularum & secularium Clericorum, (a) capellas, Cænobia monachorum, & claustra sanctimonialium incendio destruxerunt. Sacerdotes & alios Clericos tam religiosos quam seculares, quosdam extra septa Ecclesiæ alios intra plures in altari dum sacrosancta corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi tractarent mysteria trucidantes, ipsa Sacramenta in contemptum Dei irreverenter in terram projicientes, pedibus conculcabant, Calices, ampullas & alia vasa Ecclesiæ corporalia vestesque sacras ad divinum cultum dedicata deferentes ad illicitos usus pertrahebant. Cum virginibus Deo dicatis de claustris suis violenter extractis impudicè sua ludibria exercentes, & ut breviter concludam nullus sufficeret ad plenum scribere, quanta mala & facta detestabilia fidei & fidelibus irrogarunt.

ANIMADVERSIO.

(a) I. e. *facella*. Capella autem barbaris illis seculis dicebatur *ædicula* sacra, à pellibus caprarum, quibus tegi solebat.

CAP. III.

De

Muneribus Datis Pruthenis ad placandam servitiam eorum.

Antequam dicta terra Polonia sic penitus destrueretur, cum adhuc aliquod residuum superesset, idem Dux in tantum coactus

actus ab eis & angustiatus fuit, quod quotiescunque dicti Prutheni nuncios suos mitterent ad eum pro eqvis & vestibus boni coloris, non audebat aliquvaliter denegare, sed cum non haberet, unde satisfaceret eis, vocavit ad convivium suum Nobiles & alios & uxores eorum, & dum sederent lati in mensa comedentes & bibentes, iussit secretè vestes & eqvos ipsorum prænominatis infidelium nunciis præsentari. Nec hoc profuit quicquam, nec potuit eorum savitiam mitigare, quin destruerent dictam terram, ut superius est præmissum.

CAP. IV.

De

Fratribus Ordinis Militum.

Cum itaque prædictus Dux videret terram suam sic miserabiliter deficere, nec eam posset aliquvaliter defensare, de consilio fratris Christiani Episcopi Pruschia & quorundam Nobilium pro tuitione terræ suæ (a) instituit fratres milites Christi appellatos cum albo pallio, rubro gladio & stella, qui tunc in partibus Livonia fuerant, & multas terras infidelium potenter subjugaverant fidei Christianæ, & Episcopus prædictus quendam virum discretum Brunnonem dictum & cum eo XIII. alios ad dictum Ordinem investivit. Hoc facto idem Dux ipsis fratribus ædificavit castrum dictum Dobrin, de quo ipsi postea fratres de Dobrin fuerant appellati, deditque ipsis allodium seu prædium in terra Cujavia, quod fuit Cedelicze nuncupatum. Convenerunt ipse Dux & fratres sub his pactis, quod ipsi æqualiter dividerent inter se terram infidelium, quam possent sibi, cooperante Domino, imposterum subjugare. Quod cum Prutheni percepissent provocati amplius, cum copiosâ mul-

aribus

mul-

multitudine armatorum dictum castrum Dobrin sæpius impugnaverunt, tamq̄ve infesti fuerunt illis fratribus, quod vix aliquis ipsorum extra septa Castrum audebat comparere. Imò tandem ad hoc deventum fuit, quod quinque vel quatuor Prutheni ausi fuerunt circa ipsum Castrum sua latrocinia exercere.

ANIMADVERSIO.

(a) Ex hoc capite Dusburgii manifestum fit, Conradum Masoviae Ducem hos fratres de Dobrin instituisse, qui Regulam & habitum Ensisiferorum, Equitum Livonicorum assumpserunt. Polonici verò Scriptores tradunt, non fuisse hunc Ordinem à Conrado institutum, sed ex Livonia in Prussiam tantum evocatum. Johan. Dlugossus *lib. VI. ad an. 1224.* Matth. à Michov. *lib. III. Cap. XXXIII. fol. 86.* Sed hic Dusburgio potius, ut antiquiori, fides habenda est, qui alias etiam circumstantias annotavit.

CAP. V.

De

*Donatione Terræ Pruschiæ Colmensis
& Luboviae facta Fratribus Ordinis domus
Teutonice.*

Hoc eodem tempore Ordo domus Teutonice per fratrem Hermannum de Salza Magistrum ejusdem in multiplicatione Fratrum, in divitiis, potentia & honore multum profecerat. Ita quod odor bonæ famæ ipsius longè lateq̄ve diffusus tandem ad notitiam dicti Ducis pervenit. Hoc resedit in corde ipsius divinitus inspiratum, quod dictos fratres velleret ad defensionem suæ Terræ fidei & fidelium invitare, ex quo videret, quod fratres milites Christi per eum ad hoc instituti non proficerent in hac causâ. Convocatis exgò Episcopis & Nobilibus
E
suis,

suis, aperuit eis sensum suum, petens super hoc salubre consilium sibi dari, qui consenserunt unanimiter, votis suis addentes, quod relatione veridica intellexissent, dictos fratres esse milites strenuos in armis, & ab annis adolescentiæ suæ in præliis exercitatos. Insuper & apud Dominum Papam & Imperatorem & Principes Almanniæ gratissimos & acceptos, sic quod sperarent indubitanter, quod in favorem ipsorum Dominus Papa facere passagium in subsidium dictæ terræ. Undè misit solempnes nuncios cum literis suis ad dictum fratrem Hermannum Magistrum. Qui dum causam itineris coram eo & fratribus suis exposuissent, indè Magister post multa consilia variosque tractatus cum fratribus suis habitos super hoc arduo negotio, tandem per suggestionem Domini (a) Papæ & Imperatoris (b) Frederici II. & Principum Almanniæ, qui consilio & auxilio ei assistere promiserunt in hac causa dicti Ducis precibus acquievit. Misit itaque dictus Magister fratrem Conradum de Landisberg & quendam alium fratrem sui Ordinis ad ipsum Ducem Poloniæ, ut explorarent terram Colmensem, & viderent, si de voluntate ipsius nunciorum Legatio processisset; qui cum venirent, Poloniæ Duce in remotis agente, venit exercitus Pruthenorum & terram Poloniæ rapinâ & incendiò devastavit, quem exercitum dicti fratres de mandatò Domini (c) Agatiæ uxoris Ducis, assumptâ sibi multitudine Polonorum viriliter sunt aggressi in bello. Sed Prutheni ex adverso se opposcentes, fugientibus Polonis, in primo congressu dictos fratres letaliter vulneraverunt, & Capitaneum exercitus Polonorum captum deducentes, multos de populo interfecerunt. Sed Domina prædicta post conflictum fratres semivivos in campo relictos, reduci mandavit, & per curam Medicorum sanari, qui fratres dum sanati essent, Legationem sibi commissam prudenter peregerunt.

Qvâ

Quâ auditâ prædictus Dominus Conradus Dux Poloniae præhabita maturâ deliberatione, ut præmissum est, de consilio, voluntate unanimi, & consensu expresso uxoris suæ Agatiæ, & filiorum suorum Boleslai, Kasemiri & Semoviti dedit dictis Fratribus domus Teutonicæ præsentibus & futuris terram (d) Colmensem & Luboviæ & terram quam possent favente Domino imposterum de manibus infidelium expugnare cum omni jure & utilitate, quibus ipse & progenitores sui possederunt in perpetuum possidendam. Nihil sibi juris aut proprietatis in eâ reservans, sed renuncians omni actioni juris vel facti, quæ sibi aut uxori suæ vel filiis sive successoribus posset competere in eisdem. Et ut hæc donatio firma esset & perpetua nec ab aliquo imposterum posset infirmari, dedit eis literas sigillò munitas. Acta sunt hæc circa (e) An. Dn. MCCXXVI. in præsentia testimonium subscriptorum, (f) scil. Guntheri Masoviensis, Michaelis Cujaviæ, Christiani Pruschia Episcoporum (g) Sermiloti Præpositi, Wilhelmi Decani, Pacoslai Senioris & fort. Jaroslai junioris Comitum (h) de Dirsovia. Johannis Cancellarii (i) & aliorum plurium Religiosorum & Secularium virorum discretorum.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. V.

(a) Gregorii IX. ut ex Sequenti Capite apparet.

(b) Cujus Diploma An. 1226. datum habet Melchior Goldassus von Haimimsfeld in lib. quem inscribit Reichshandlung pag. 68. seqq. in quo inter alia sic loquitur: *Proposuit (Hermannus à Salza) coram nobis quod devotus noster Conradus Dux Masovia & Cujaviæ promisit, & obtulit ei providere & fratribus suis de terra, qua vocatur Culmen & in alia terra inter Marchiam suam videlicet & consinia Pruthenorum, ita quidem ut laborem assumerent & insisterent opportunè ad ingrediendum &*

E 2

obti-

obtinendum terram Prussia ad honorem & gloriam verò Dei, quam promissionem recepisse distulerat & Celsitudinem nostram suppliciter implorabat, quod si dignaremur annuere votis suis, ut auctoritate nostrâ fretus inciperet aggredi & prosequi tantum opus, & ut nostra sibi & domui sue concederet & confirmaret Serenitas tum terram quam prædictus Dux donare debebat, quam totam terram, que in partibus Prussia per eorum instantiam fuerat acquisita & insuper domum suam immunitatibus libertatibus & aliis concessionibus, quas de dono terre Ducis præfati & de Prussia conquestione petebat, nostræ munificentia privilegio muniremus, ipse oblatum domum dicti Ducis reciperet & ad ingressum & conquestionem terra continuis & indefessis laboribus bona domus exponeret & personas. Nos igitur attendentes promptam & expositam devotionem ejusdem Magistri quæ pro terrâ ipsa sue domui acquirenda ferventer in Domino astuabat, & quod terra ipsa sub monarchia Imperii est contenta: confidentes quoque de Prudentia Magistri ejusdem, quod homo sit potens opere & sermone & per suam & suorum Fratrum instantiam potenter incipiet & conquestionem terra viriliter prosequetur, nec desistet inutiliter ab inceptis auctoritatem eidem Magistro concessimus terram Prussia cum viribus Domus & totis canalibus invadendi concedentes & confirmantes eidem Magistro, successoribus ejus & Domui sue in perpetuum tam prædictam terram, quam à præscripto Duce recipiet, ut promisit, & quamcunque aliam dabit, nec novæ totam terram, quam in Partibus Prussia conquestoret, Domino favente velut vetus & debitum ejus Imperii in montibus, planicie, fluminibus, nemoribus & in mari, ut eam liberam ab omni servitio & exactione teneant & immunitatem, & multi respondere proinde teneantur &c. Hic Imperator

rator per Marchiam Conradi intelligit Masoviam vel Cujaviam. Illis enim temporibus omnis limitanea regio dicebatur Marchia. Sic Vincentius Kadlubko tractum Gedanensem appellat Marchiam Gedanensem *lib. IV. Chron. Polon. cap. IV. pag. 458.* Per terram autem inter Marchiam Conradi & confinia Pruthenorum intelligit terram Dobrinensem. Hæc si observentur, facile apparebit, quid sit respondendum ad dubia, quæ hic movet Martinus Cromer. *lib. VII. circa fin. fol. 580.* ubi perperam pro: *Marchiam suam, legit Marchiam novam;* & hinc illæ lacrymæ. Hoc Privilegium Friderici II. Imp. confirmat etiam Carolus IV. Imperator, apud eundem Goldastum *l. c. pag. 172. seqq.*

(c) Agasia nominatur ab aliis Chronographis. Schüzius eam appellat Agatam. Martinus Cromerus verò de ea: *Uxor autem, inquit, ejus (Conradi) fuit Agaphia Russa, sive ea est Agapia potius. Etenim Russi & Græci, hoc est tb. quasi pb. sive f. pronunciant ut est videre in Theodoro, quem illi Pbedorum dicunt.* Lib. VII. de Ortu & Rebus gest. Polon. in calce.

(d) Polonici Scriptorum aliter hæc referunt. Dicunt enim Cruciferos eâ conditione à Conrado evocatos, ut Culmensæ tractum & quicquid terræ est inter Vistulam, Mocram atque Dervantiam flumina occuparent; ubi verò Prussiam domuissent, Culmensæ terram redderent, & quæ de Barbaris cepissent ea arbitrio bonorum virorum ex æquo secum, seu cum posteris suis, partirentur. Johan. Dlugossus *Tom. I. lib. VI. Annal. Polon. ad an. 1230.* Martinus Cromerus *lib. VII. in fine Stanisl. Sarnitius lib. VI. Annal. fol. 272.* Consentiant cum illis nonnulli ex nostris scriptoribus, ut Auctor Chronici, quod Wolffg. Dietmarus Typogr. Elbingensis edidit, item alius quispiam Anonymus superioris seculi Scriptor in Biblioth. Wallrodiana Regiomonti. Probat hoc ipsum insuper Cromerus ex vetusto quodam libro Germanicâ lingvâ scripto, in arce Lubaviensi asservato & à Stanislao Hosio Episcopo Warmiensi sibi communicato, cum pacta ipsa vel injuriâ temporum vel fraude, ut ipse dicit, Cruciferorum perierint. Dlugossus etiam longius progressus, donationem illam, ut eam paulo antè descripsimus, de factò, non de jure, factum esse dicit, *cum in præjudicium*

Regni Poloniae donationem ipsam Conradus Dux non poterat aliqualiter fecisse. Quid hic certi statuere debeam, non video, cum Acta ipsa perierint. Probabiliorem tamen sententiam puto esse Dusburgii nostri, qui antiquior est citatis illis Scriptoribus, habet etiam sibi consentientem Auctorem antiquum Chronici Ordinis, & praecipue Imperatorem ipsum in Diplomate citato; Vix etiam est verisimile, Cruciferos, qui tum multis opibus multisque possessionibus erant aucti, fuisse tam duras condiciones subituros. Vid. Casp. Schuz. lib. 1. Chron. Pruss. fol. 17. Fortassis igitur Scriptores Polonici confundunt Acta haec cum Actis cum Fratribus de Dobrin initis, quibus Conradus, ut a se institutis, facile adeo duras leges praescribere potuit. Quoddam etiam Chronicon MS. in Bibliotheca Wallenrodiana concedit pacta illa, prout ea describunt Poloni, fuisse cum Cruciferis inita; Conradum tamen ante mortem Cruciferos a Pactorum illorum religione absolvisse refert. Unde haec hauserit recentior ille Scriptor, parum compertum est.

- (e) Sic habent Chronica nostra. Sed Joh. Dlugosius hoc refert ad An. 1230. *Tom. I. Annal. lib. VI. f. 578.* ut & Matth. à Mechovia *lib. III. Chron. Polon. Cap. XXXV.* Martinus Cromerus dicit haec contigisse An. 1228. Manlius Gerlicius vero acta haec esse vult An. 1223. quando annum conversionis Prussorum hoc versiculo complectitur: *HerMannVs prVssos Chrssti JVb Vota Coëglit.* Videatur Gabriel Bucelinus *in Germania.*
- (f) Subscriptio Pactorum illorum sic habet apud Cromerum: Michael Episcopus Cajaviensis: Mikul Archidiaconus. Magister Joannes Dobroslaus, Magister Petrus Canonici Plocensis Ecclesiae, Gotthardus Cancellarius: Gregorius Subcancellarius: Joannes Abbas B. Alberti Plocensis: Wenceslaus Abbas, Gerhardus Praepositus: Petrus Prior Zervenensis Ecclesiae: Bogussa Palatinus Masovia: Comes Arnoldus, Cethegus judex, Abraham Tincerna, Martinus Dapifer. Vitus Cancellarius de Plonsk. Matthaeus Castellanus de Raciass. Seguta Dapifer. Barta Succamerarius. Adalbertus Castellanus antiquae Wladislaviae. *lib. VIII. fin.*
- (g) Servvold, legit Schuz. *fol. 17. b.* Jeroschinus vero habet Germold.
- (b) Horum Comitum Pater nomine Derslaus ex familia Ducum Pomeraniae

merania & Cassubia oriundus, Dirfovia urbem An. 1207. condidisse dicitur. Schuz. fol. 17. b. ex antiquo Chronico Monachorum Elbingensium.

(i) Gregorium Subcancellarium hic interferit Jeroschinus, non est igitur dubium, quin & in ipso Dusburgio hoc sit lectum.

CAPUT VI.

De

Anno 1226.

Confirmatione Præmissorum & Exhortatione Domini Papa ad alios fratres.

Cum autem destructio terræ Poloniae per clamorosa insinuationem dicti Ducis ad notitiam Romanæ curiæ deveniret, Sanctissimus Pater & Dominus (a) Gregorius IX. Papa compatiens ei & præcavens periculis in futurum, omnem Ordinationem cum fratribus domus Teutonice tanquam ritè & rationaliter factam, in nomine Domini confirmavit, injungens dictis fratribus in remissionem peccaminum, ut vindicarent injuriam crucifixi Domini, & terram Christianis debitam recuperarent ab infidelibus occupatam, & exhortans eos ad bellum ait: Accingimini & estote filii potentes, estote parati, ut pugnetis adversus nationes, quæ conveniunt disperdere nos, & sacra nostra. Quam melius est nobis mori in bello quam videre mala gentis nostræ & sacrorum; Confortansque ipsos ad magnanimitatem consolatus fuit eos verbis Domini, quibus usus fuit ad filios Israel dicens: Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus & majorem, quam tu habes, adversarii multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est. Et interpositis quibusdam sequitur: Vos hodiè contra inimicos vestros pugnam committeris, non pertimescat Cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidatis eos,

Machab. 3.

58.

Deut. 20. 11.

v. s.

Anno 1226. eos, quia Dominus DEUS vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. Non enim pugna vestra est, sed DEI. Hæc magnanimitas, maximè fuit in Juda Macchabæo, qui, quando cum paucis stabat contra maximam multitudinem gentium, confortando suos ait: Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formideatis. Mementote, qualiter salvi sint facti Patres nostri in mari rubro cum Exercito multo, & nunc clamabimus in Cælum & miserabitur nostri Dominus & memor erit Testamenti Patrum nostrorum & conteret exercitum istum antè faciem nostram. hodiè, ut sanctificet omnes gentes, quia est DEUS, qui redimat & liberet. A verbis viri Peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus & vermis est, hodiè extollitur & cras non invenitur. Estote ergo o filii æmulatores legis, & date animas vestras pro testamento Patrum, & mementote operum, quæ fecerunt in generationibus suis & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Confortamini & viriliter agite in lege, quia cum feceritis, quæ præcepta vobis à Domino DEO vestro, in ipsa gloriosi eritis. Adducite ergo ad vos omnes fautores legis & vindicite vindictam Populi vestri, & retribuete retributionem gentibus.

2. Macchab. 4. 10. seq.

1. Macchab. Cap. 2, 64.

ANIMADVERSIO.

AD CAP. VI.

(*) Honorio III hoc tribuit Henricus Pantaleon *lib. III. de Ordinis Joannitarum Reb. Gestis pag. 74.* Sed quanquam plurima privilegia Honorii III. Pontificis Ordini concessa circumferuntur, Donatio tamen Prussiae Anno 1226. facta per Honorium III. confirmari vix potuit cum Honorius ille eodem anno mortuus sit. Extat quidem Diploma quoddam Honorii, in quo Ordini concedit, ut à Paganis recepta retineat, neque cogatur ab hostibus parta cum alijs dividere. Sed cum hoc diploma Germanico tantum idiomate scriptum sit, Dicaturque datum esse anno IV. Pontificatus ejus,

ejus, suspectum mihi est. Annus enim quartus pontificatus Honorii est Annus 1219. Ordo autem Teutonicus 1226. demum Prussiam ingressus est. Itaque fatius est ut dicamus cum Dusburgio, Donationem Prussiae factam esse à Gregorio IX. Anno 1226.

CAP. VII.

De novo Bello Fratrum Domus Teutonica Contra Gentem Pruthenorum.

Multa bella antiquitus gesta sunt contra Pruthenos, ut veteres narrant Historiæ (a) per Julium Cæsarem. Item per (b) IX. Germanos de Svecia, qui dicebantur Gampti. Item per (c) Hugonem dictum Potyre; Ultimo per Fratrem Christianum Episcopum Pruschia, & per Fratres milites Christi, qui vocabantur fratres de Dobrin. Sed habitâ opportunitate Prutheni Capitaneos, & alios, qui illis præfuerant, occiderunt, aut à se longius repulerunt, & sic jugum servitutis excutiebant à cervicibus suis, & in errores pristinos sunt relapsi. Modò per fratres Hospitalis S. Mariæ Domus Teutonicorum Hierosolymitani incipiunt nova bella contra ipsos: Hæc sunt illa nova bella, quæ *Jud. 5. a.* elegit Dominus, ut subvertat portas hostium, quia si unum vel plures Capitaneos vel Præfectos occiderent uno die vel delectent, eodem vel sequenti die in loca occisorum alii meliores surgerent vel æquales. Nec tantum est novitas in bello; sed etiam in novo genere bellandi, quia non solum materialibus, sed armis spiritualibus vincitur hostis: i. e. Oratione. Unde legitur de Moyse, dum oraret, Israel vincebat Amalech; dum cessaret ab Oratione, Israel vincebatur. Scribitur enim de ipso Moyse in libro Sapientiæ, quod vicit turbas non virtute corporis nec in armaturâ potentia, sed verbo suæ Orationis & de eodem dicitur

F

in

in libro Judicum: Memores estote servi DEI, qui Amalek confidentem in clypeis suis non pugnando, sed precibus & orando devicit. Legitur & de Macchabæis quod exclamaverunt in Oratione & fugaverunt castra. Et de Juda Macchabæo dicitur quod in duobus bellis non oraverit (i) contra Antiochum Eupatorem, & hinc non vicit: sed divertit in secundo contra Barchidem & Alchimum, & hinc ipse cecidit in prælio, & in fugam castra filiorum Israel sunt conversa, & est aliud novum genus vincendi, scilicet patientiâ, in qua Martyres Christi animas suas possederunt, de qua Poeta dicit: Nobile vincendi genus est Patientia, Vincit. Qui patitur; si vis vincere discite pati. Et alibi: Virtutum patientia vincit inermes, armatosque viros vincere, sæpè solet: De hac patientia dicit Gregorius: Sine ferro & flammâ martyres esse possumus si patientiam in animo veraciter conservamus. Ad idem Hieronymus: Quis Sanctorum sine patientiâ coronatur à cunabulis? Ecclesiæ non defuit iniquitas premens & Justitia patiens. Sic habemus novum bellum & novum genus bellandi quo armis Spiritualibus hostes fidei & Ecclesiæ superamus.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. VII.

- (a) De bellis Julii Cæsaris in Polonia & Prussia gestis mira fabulati sunt primi horum gentium Scriptores: Audiamus Vincentium Kadlubkonem de Leszkone III. Polonorum Rege verba facientem: *Qui Leszko, ait, Julium Cæsarem tribus sedit præliis. Qui Crassum apud Parthos cum omnibus copiis delevit cuius ori aurum infundens: aurum, inquit, sisti, aurum bibe: Nam & Gothis & Parthis & Trans Parthanis regionibus imperavit, Huic tandem Julius jure affinitatis gaudet scederari sororem nomine Juliam ejus matrimonio sociat ei que Jure dotis à Fratrem Bavaria, donationis verò propter nuptias à Viro Sambienfis Provincia condonata est; lib. I. Chron. Polon.*

Hermannus de Saltza IV. Ordinis Teutonici Magister.

Polon. Epist. XVI. Fufius & explanatius hæc perfequitur Commentator Kadlubkonis in hunc modum: *Cujus siquidem Leszkonis Julius Cæsar Romanorum Regna Slavorum suo subicere contendens imperio, etiam fines Lechitarum invafit. Cui, præfatus Leszko cum suis Lechitis refiftens, pro viribus fortiffimis ter cum ipfo confictum habuit, quibus ipfum fuperavit. Hic etiam Leszko quendam Tyrannum Cræffum Regem Parthorum in Pruffia prælio commiffio devicit; aurumque liquatatum in os ejus in fundi fecit dicens: aurum fifti aurum bibe; Hic infuper Leszko Getbis i. e. Pruthenis & Parthibis, id eft Ruthenis & aliis Regionibus usque ad Orientem post Ruthenas imperavit. Videns igitur Cæfar Julius Leszkonis potentiam fæderavit fecum amicitiam. Sororem enim fuam Juliam in Slavia partibus exiftens, tradidit fibi in Uxorem, terramque Bavaria loco dotis fibi assignavit. Leszko verò Julia donatione, loco de virginationis, terram Sambienfem fibi tradidit. Hæc illi, quæ recensere, refutare eft. Neque plus fidei meretur, quod de Drufo Germanico refert Erasmus Stella, ac fi primus Romanorum mare Balticum ingreffus Pruffiam oppugnarit. lib. I. antiq. Boruff. ant. med. Alii referunt quosdam ex Britannia à Drufo Rege relegatos mare Balticum intraffe Pruffiamque fibi fubjeciffe Vid. Schüz. lib. I. Chron. Pruff. fol. 2. b. Has fabulas pepererunt expeditiones Drufi navales, qui claffibus Romanis Oceanum tentavit. Vid. Tacit: de Morib. Germ. Cap. XXXIV. Quousque autem Drufus fit progreflus, non indicat Tacitus. Alii tamen fiftentio illud non præteriere. Nam Plinius eum usque ad Glefariam sine Auftriam, quæ fuccinum gignit, & Burchanam five Fabariam penetraffe fcribit. lib. XXX. VII. c. III. pr. Conf. Julius Solinus in Polybift. Cap. XX. (XXIII.) Sed & Strabo Drufum Germanicum tantum perveniffe fcribit ad Infulam, quæ dicitur Bircanis. lib. VII. Geogr. circa pr. pag. 291. Quoniam itaque multis perfvafum fuit, per Glefariam non poffe aliam intelligi Infulam, quam Sambiam Pruffiæ, ubi fuccinum colligitur, hinc illa de oppugnatione Prufforum commenta. Verum per Glefariam non poffe intelligi Sambiam facile probatur. Nam (1.) Auftriam five Glefaria fuit Infula: Sambia verò Romanis non fuit cognita ut Infula (2.) nomina ipfarum Infularum*

rum aliud indicant. Bircanis enim sine dubio est Insula *Borkum*, in mari Germanico ad Ostia Amisæ sita; Glessarici verò sive Austrania est Insula *de Strant* dicta, sita in Oceano Germanico, quæ Cimbricam Chersonesum alluit. (3.) Manifestum hoc est ex descriptione horum locorum Pliniana. Hic enim Mare septentrionale descripturus incipit ab Orientali plaga. Incipit nimirum, à Venedis & Vistula amne progrediturque versus Occidentem ad finem Clylipenum & alterum Laonum conterminum Cimbris. Inde promontorium. Cimbricum memorat; & ibidem enumerat Glessariam & Burchanam Insulas (4.) hoc ipsum etiam colligitur ex supra allegato loco Taciti. Ille enim Occidentalem Germaniæ partem describens, Drusum Oceanum tentasse refert; & deinde demum progreditur ad descriptionem partium Germaniæ septentrionalium, ad quæ etiam Prussia referri potest (5.) Accedit auctoritas Strabonis, qui iisdem temporibus vixit. Ille namque disertis verbis asserit, septentrionales Germaniæ oras Romanis non fuisse cognitæ eo tempore, cum Drusus neque navali neque terrestri itinere loca Romanis trans Albim ad septentrionem posita perlustrare potuerit. *loc. cit. pag. 294.* Addit Dio Cassius, Drusum Albim transire volentem à spectro prohibitum esse. *lib. LV. in princ.* Verum duo his obstare videntur: Nimirum locus Taciti, *ex lib. XII. Annal. Cap. XXIX.* ubi Drusus Svevis qui tunc mare Svevicum, nunc Balticum dictum, accolebant, Vannium Regem dedisse dicitur. Deinde locus Plinii *ex lib. II. Nat. Hist. capite LXVII.* ubi dicit, septentrionalem Oceanum majore ex parte esse circumnavigatum auspiciis Augusti Germaniâ classe circumvesâ ad Cimbrorum promontorium, & inde immenso mari perspecto aut famâ cognito ad Scythicam plagam. Sed ad locum Taciti facilis est responsio: Drusus quippe Svevis ad Albim habitantibus Regem dare potuit, non cognitæ partibus Sveciæ septentrionalibus. Plinii locus etsi solutu difficilior sit, ex eo tamen certò probari non poterit, Drusum usque in Prussiam fuisse delatum, quia Plinius ipse dubius est, dicitque, mare illud fuisse perspectum aut famâ cognitum ad Scythicam plagam. Deinde fortasse Plinius per Scythicam plagam intelligit Norvegiam aliàs neque sibi ipsi constaret, neque

neq; cum aliorum istius temporis Historicorum Testimoniis conciliari posset.

- (b) De IX. Fratribus Svecis quæ tradit auctor noster, ea fusius proponit Erasmus Stella. Cum enim retulisset à Prussis Alanisque sub Widdewuti posteris, Germanos Vicinos sæpius fuisse bello infestatos, addit: *Germani consulentes in medium vocatis in auxilium Sveciæ Regulis (ii in Oceano siti sunt à Latinis Sitiones dicti) qui Ganipoti cognominabantur, quod & ipsi Germani essent, & re bellica tum terra tum mari plurimum pollerent, qui eis auxiliares copias classibus traduxere, pluribus annis cum Boruffis belligerantes: quo multis trucidatis atque caesis eos ad deditiōnem compulere; Est utiqve oppidulum cum arce ad Vistulam situm quod Sweza vocatur, ubi hi qui ex Svecia venerant castra sua posuerunt, quod postea in eammunitionem, quam videmus, per Teutonicos fratres extructum est. Novem Regulos id confecisse bellum Annales habent, sed quæ tempestate, aut quamdiu duraverit, nec an simul, an sibi in vicem succedentes id bellum gessere, an etiam Baruffos ad tributum pendendum coegere, nihil reliqui est. Hæc Stella lib. II. antiq. Boruff. post med. Corrupta hæc sunt ex verbis Jornandis, qui Sec. VI. post Christum natum floruit. Is enim migrationem Gothorum ex Scanzia, officinâ illâ gentium, sub auspiciis Berigi Regis in Ulmigeriam susceptam describens, Ulmerugos eorumque vicinos Vandalos à Gothis fuisse subjugatos refert: Ibi verò magnâ populi numerositate crescente, etiam penè quinto Rege regnante, Post Berig, Fitimer, Filogud, Arigis consilio sedit, ut exinde cum familiis Gothorum promoveret Exercitus. Delati itaque indè fuerunt, usque ad Tanaim annem. Vid. Jornand. lib. de reb. Gothic. Cap. IV. Edit. Grotiana. Consentit cum his Joannes Magnus superioris seculi Scriptor lib. I. Histor. Svec. Cap. XV. seqq. ubi etiam annum determinat, quo hæc migratio contigerit, nempe dicit fuisse hunc annum à mundo condito 2531. à Diluvio 875. ex ante Christum natum 1430. tempore Othonielis Judicis in populo Judaico. Hòc tamen ejus Relatio à Jornandis Historia discrepat, quod Jornandes tantum V. Reges in Ulmerugia vicinaque Vandalia numerat, Johannes verò Magnus numerat hic VII. Reges. Primus est Berig, Se-*

cundus Gaptus, à quo Dusburgius noster IX. illos Germanos Svecos appellat Gamptos, & Stella Ganipotos, nisi fortè hæc vocabula malis corrupta esse ex nomine Gepidarum. Tertius Augis, Quartus Amalus, Quintus Baltus, Sextus Gadaricus, Septimus Philmerus, quem in Scythiam ad Tanaim expeditionem suscepisse refert *loc. cit. Cap. XXI.* Nos hic concedimus, Gothos Prussiam antiquitus ingressos esse, circumstantias tamen varias negamus. Nam tempus migrationis Johannes Magnus nimis antiquum statuit: Stella verò nimis recens. Constat enim antiquissimis temporibus hic habitasse Venedos, ut ex Ptolomæo apparet: Deindè verò accessisse Gothos, antè tempora tamen Waide Wuti qui post Christi nati tempora hic in Prussia rerum potitus esse perhibetur; quin etiam ante tempora Pythæ, qui CCL. annis antè Chr. natum floruit tempore Ptolomæi Philadelphi. Trecentis igitur plus minus annis antè Christum natum hanc migrationem fuisse susceptam credibile est; quod etiam putat Hugo Grotius in *Prolegomenis ad Hist. Gotb. Longob. &c.* Deindè per Ulmerugiam malè Johannes Magnus & alii intelligunt Culmensem in Prussia Tractum, cum Ulmerugi potius fuerint Rugii Pomeranici populi, ut in *Dissent. de Originibus Pomer. n. V.* probavimus, præterea Goltos non nisi ex Scanzia quæ hodiè Svedia dicitur, progressos esse ad Ulmerugas & successu temporis inde ad Prussos, vix nobis persuadebitur ob rationes in citatis Dissertationibus nostris annotatas. De oppido Sevezæ quid sit sentiendum suo loco ostendemus.

(c) De Hugone Potyre sic iterum Erasmus Stella: *Eà tempestate (Ottonis I. Imperatoris tempore) barbara gens iterum latrocinio finitimos impetens per Hugonem cognomine Botyrum, alias Brueterum, ex Saxonia natum, tum Principem Germanorum Vistulam ex utraque ripa accolentium (quos alii Brueteros fuisse autumant) seditionibus ex natali solo pulsos in hac loca devenisse ab ejus gentis Principe qui illis (ut dictum est) imperabat Porussis, compressi sunt, adeoque viribus exuti, ut pacem longissimam servarint.* Hæc Stella lib. II. post med. Eadem firmè habet Jacobus Spigelius in Scholiis ad Riccardi Bartholini Perusini lib. II. *Aristriados in fin. pag. 517. inter Scriptores Germ. à Justo Reubero editos.* Sed quid hac de re sit sentien-

tiendum, dicemus infra in Dissertatione III. quæ erit de Originibus Prussicis.

CONTINUATIONES CAP. VII.

Anno 1226.

De Armis Carnalibus & Spiritualibus.

Scriptum est in Canticis quod in turri David omnis armatura Cant. 4, 4.
 ra fortium dependebat. Et in libro Sapientiæ, quod LX. fortes Cant. 3, 7.
 ex fortissimis Israel omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi Salomonis lectulum ambiebant, Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. In quo notamus, quod Custodes capitis Jesu Christi dicuntur habere arma quibus tunicam fidei exterminatis insidiatoribus defendant & S. Matris Ecclesiæ lectum pacis custodiant in quiete. Sed quod Judith non in armorum potentiâ, sed in virtute laudatur eò quod occidit Holofernem. Quis in arcu suo speravit? & gladius ejus salvavit eum? Antiqui gladio suo possederunt terram. Psf. 43. (44) 7.
 Ideò secundum doctrinam Apostoli debemus etiam induere armaturam DEI i. e. Virtutes quæ (ut dicit Macrobius) solæ beatum faciunt hominem, & vi tuentur possessorem suum. His armis Virtutum debemus etiam ab hostibus nostueri, ut dicit Boetius, talia tibi contulimus arma quæ nisi prior abjecisses invictate firmitate tuerentur. Singula ergò arma carnalia & spiritualia sibi moraliter correspondentia de quibus meminit S. Scriptura cum quibus pugnandum est in hoc bello novo Dominico hic ponentur. Ephes. 6, 11. 13.

DE SCUTO.

DE Scuto dicitur quod Salomon fecit CC. hastas & CCC. Scuta; 2. Paral. 9. 15.
 Et Ecclesiasticus dicit: quod super Scutum potentis adversus inimicum pugnabit. Pro Scuto accipe fidem de qua Paulus Cap. 29. 18.
 lus

- Ephes. 6. 16.* Ius dicit: In omnibus fumens Scutum fidei, quæ est fundamentum omnium virtutum. Sine quâ, ut dicit Augustinus, omnis virtus sicut ramus sine virtute radicis arefcit. Et ut dicit Apostolus: Impossibile est DEO placere sine fide; Sed eâ habitâ, veniunt nobis omnia bona pariter cum illa. Undè dicit Christus habete fidem DEI. Amen dico Vobis, quicumque dixerit huic monti: tollere & emittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quæcumque dixerit, ut fiat, fiet ei. Ecce quanta vis fidei. Hoc est scutum in expugnabile, quo Josaphat Rex
- 2. Paral. 20. v. 20.* Juda populum trepidantem consolatus est dicens: Confidite in Domino Deo vestro & securi eritis, & cuncta evenient Vobis prospera. Unde factum est, quod filii Ammon & Moab versi in semetipsos concidere mutuis vulneribus, ut nec superesset quisquam qui necem posset evadere. Magnæ fidei Verbum fuit, cum David pugnaturus contra Goliathum diceret: Tu venis ad me in gladio & hasta & clypeo; ego venio ad te in nomine Domini; & tradidit eum Dominus in manus suas. O quanta fuit fides in Jonata & Juda Macchabæo, cum dicerent:
- 1. Sam. 17. v. 45.* Non est difficile Domino salvare in multitudine, vel in paucis. Ibi per Janatam & armigerum ejus XX. Viri in media parte jugeri sunt percussi, & natio Philistinorum conturbata est. Hic per Judam Seron & exercitus ejus est contritus. Hæc est victoria.
- 1. Job. 5. 5.* Victoria quæ vicit mundum. Quis autem qui vincit mundum, nisi qui credit in me; etiamsi mortuus fuerit, vivet: Volve igitur & revolve omnem Evangelicæ Historiæ textum, quia in omni salvatione corporum & animarum reperies Dominum conclusisse: Fides tua te salvum fecit.

DE GLADIO.

- 2. Macch. 15. 16.* Dicitur Jeremias extendisse dextram, & dedisse gladium dicens: Accipe gladium sanctum munus, à Deo quo deficies adver-

Hermannus de Salza IV. Magister Ordinis Teutonici.

adversarios populi mei Israel. Iste est gladius, quo Judas Castra filiorum Israel protegebat. Hic gladius est fortissimi militis Christi, sicut gladius Saulis, nunquam revertatur inanis, ita quod impleatur de inimicis crucis Christi: Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, Juvenem simul ac Virginem, lactentem cum homine sene, ut quotiescunque aliquis ex adverso occurrerit, eis semper dicat: non est aliud nisi gladius Gideonis i. e. militia Christiana. Pro gladio accipe bona opera quia fides sine operibus mortua est. Quaedam arma defendunt corpus ab impetu hostium. Gladius se extendit ad opus quo dejicitur adversarius; & sicut ex utraque parte est acutus, ita bona opera ex una parte actorem suum defendunt à poena infernali; ex alia ad aeterna gaudia introducunt.

2. Sam. 1. 22.

Deut. 32. 25.

Jud. 7. 14.

Jac. 2. 20.

DE LANCEA.

DE lancea dicitur, quod Jojada Sacerdos Lanceas dedit Centurionibus, qui custodias domus DEI observabant. Hæ sunt lanceæ quas Joab Princeps militiæ fixit in corde Absolonis, qui Patrem suum David persequebatur. Pro lancea, quæ recta est, accipe rectam intentionem, ut secundum doctrinam Apostoli: quodcunque facitis in verbo & opere, in nomine Domini facite, & sive manducatis sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Ex hac lancea meritum & demeritum cuiuslibet operis procedit. Quia nunquam format mala intentio bonum opus, & è converso.

2. Paralip. 23. 9.

Coloss. 3. 17.

DE CLYPEO.

DE clypeo hortatur Esa. dicens: Surgite Principes, arripite clypeum. Et ad Josue dixit Dominus: Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Haji, quam tradam tibi. Et sequitur ibidem: Josue verò non retraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes

Es. 22. v. 5.

Jos. 5. v. 18.

Jos. 8. v. 26.

G

habi-

habitatores Haji. Sic faciant prælecti bellatores, non ut Saul, de quo legitur, quod abjectus est clypeus fortium, clypeus Domini, quo ad omnia bona opera informentur, de quo dicitur: Sermo Domini clypeus ignitus est omnibus sperantibus in se. *2. Sam. 1. 21.* Qui ideo ignitus dicitur, quia ab omnibus telis igneis Diaboli defendit. De hoc Judas Macchabæus dicitur singulos suos armasse, nec clypei nec hastæ munitione, sed sermonibus optimis. *1. Macehab. 15. 11.* Sed ideo optimi dicuntur, quia verbum Dei, quæcunque voluit, facit, & prosperabitur in illis ad quæ missum est. Si non proficit in uno, prodest in altero, nunquam vacuum revertitur.

DE LORICA.

1. Macehab. 3. 3. **D**E lorica dicitur, quod J. Macchabæus induit se lorica tanquam gigas & protegebat castra sua. Pro lorica accipe justitiam proximo compassionem. Verba Gregorii: Vera justitia compassionem habet, falsa indignationem.

DE ARCU & PHARETRA.

Genes. 27. v. 3. **D**E arcu & Pharetra dixit Isaac filio suo Esau: Sume arma tua, pharetram & arcum.

DE SAGITTA.

Jerem. 51. v. 11. **D**E sagitta dicit Jeremias: Suscitavit Dominus Regem Medorum & Babyloniorum, Sagittis implete pharetras, ut impleatur verbum Domini in hostibus crucis Christi. *Deut. 32. 23.* Congregabo super eos mala & sagittas meas complebo in eis. Per hæc tria intellige illa tria, quæ sunt de substantia cujuslibet religionis, scilicet, obedientiam, castitatem & paupertatem. Per arcum obedientia designatur. Quia sicut incurvatur, flectitur & reflectitur sine fractura: Ita religiosus inter prospera & adversa æquo animo sine murmure dicitur incurvari per obedientiam & reflecti. De qua incurvatione & obedientia Isaac benedicens filium suum Jacob, ait: Esto Dominus fratrum tuorum, &

in-

incurventur ante te filii matris tuæ. Ut possit dicere obediens cum Jeremia: Tetendit arcum suum Dominus & posuit me quasi signum ad sagittam. *Thren. 3, 12.* O quam durè tenditur ibi arcus iste obedientiæ, ubi religiosus in bello videns sibi mortis periculum imminere, non audet retrocedere. Ibi melior est obedientia quam victima. Quia, ut dicit Gregorius, per victimam aliena, per obedientiam caro propria mactatur. Per sagittam castitas notatur, quia sicut sagitta dicitur à sagio, sagis, quod est ingeniosè agere, vel derivare: ita oportet hominem, ut possit castè vivere, ingeniosè agere, secundum animæ suæ vim naturalem consensus carnis, qui semper proni sunt in malum, & oportet ipsum derivare i. e. Deo plenum esse, quod nemo potest esse castus, nisi Deus dederit. Scilicet sagitta fertur duabus pennis ad modum avis, ut hostem celeritate interficiat: Sic castitas, ut antiquum castitatis inimicum deiciat, utitur duabus pennis, quæ sunt renovatio vitæ veteris & renovationis utilitas. De his duabus pennis loquitur Esaias: Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem scilicet corporalem in spiritualem, assumunt pennas ut aquilæ, quæ cum se vult renovare, veteres pennas deponit & novas accipit. *Esa. 40, 31.* Ad quod nos hortatur Apostolus, dicens: Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria carnis: & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, & sic renovabitur sicut aquilæ juvenus tua, & valebis in virtute castitatis *Eph. 4, 24.* & non deficies, quia sagitta Jonathæ nunquam abit retrorsum. *Psa. 102. (103) v. 5.* Potest ergo dicere caro casti hominis cum Job. Sagittæ Domini *Job. 6, 4.* in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum scilicet luxuria. Quanta sit indignatio castitatis contra luxuriam, & contra, nemo novit, nisi qui expertus est. De renovationis utilitate dicit B. (*forſan Bernbardus.*) Quid castitate decorius,

corius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Sic Judith etiam egit & Holofernem occidit populumque Domini à periculis liberavit, eò quod castitatem amaverit. O quam pulcra & utilis est casta generatio? Per pharetram, quæ à ferendo jacula dicitur, denotatur paupertas. Quia sicut in pharetra sagitta, sic castitas in paupertate absconditur & conservatur. Quia vidua in deliciis vivens, mortua est. Unde potest castitas dicere illud Esaiæ: Posuimè Deus quasi sagittam & in pharetra abscondit me. Nec sufficit illa paupertas in religiosis, de qua B. ait: volunt esse pauperes eo pacto, quod nihil eis deficit, & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sed illa voluntaria & cum defectu paupertas, de qua dicit Dominus: Beati pauperes Spiritu, quæ secundum B. est cum intentione & desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei & salutem animarum. Hæ sunt pharetræ servorum Hadadezec, qui interpretatur, præcipuus separator. Quia paupertas à divitiis separat. Quas pharetras David vultu desiderabilis i. e. Christus, in quem Angeli desiderant prospicere tulit i. e. pertulit in hoc mundo, & attulit eas in Jerusalem, ubi nudus pependit in cruce, ut paupertatis ejus vestigia imitemur. Hæc paupertas medicinalis est, quia ut dicit Gregorius: Quos mortis infirmitas vulnerat, paupertatis medicina sanat. Paupertas enim superbiam occidit, & duas sanguifugas infernales avaritiam & luxuriam suffocat.

DE FUNDA.

DE funda dicitur in Zacharia: Dominus exercituum proteget eos & devorabunt & dejiciet eos lapidibus fundæ. Legitur & in libro Regum, quod anima inimicorum David rotabitur quasi in impetu & in circulo fundæ. Hæc est funda, quæ David jecit

jecit & percussit Philistinum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam in terram, prævaluitque David adversus Philisteum, in funda & lapide, percussumque Philisteum interfecit.

1. Sam. 17.
50.

DE BACULO.

DE baculo dicit Dominus per Esaiam: Væ Assur virga furoris mei & baculus. Et interpositis quibusdam sequitur: Virga percutiet te & baculum levabit super te in via Ægypti. De temporali signo baculi & fundæ legitur, quod David pugnaturus contra Goliath tulit baculum, quem semper habebat secum, & elegit V. lapides limpidißimos, quos posuit in peram pastorem & fundam manu tulit. Philisteum armatum intellige Diabolum paratum, ad tentandum. Sis ergo tu David manu fortis pœnitens & semper tecum habeas baculum S. Crucis, eligasque quinque lapides i. e. quinque vulnera Christi, & pone in peram pastorem i. e. in animam tuam & circumduc manu fundam i. e. rememorationem omnium horum, & occides eum. Nec tantum in tentatione aliquis prævalebit. Imò si solus iste baculus S. Crucis Helisæi Prophetæ ponatur super faciem pueri i. e. pueriliter viventis mortui, reviviscet.

Esa. 10. v. 5.

1. Sam. 17.

2. Reg. 4.

DE GALEA.

DE galea dicitur, quod Saul induit David vestimentis suis, & posuit galeam æream super caput ejus. Et dixit Dominus per Jeremiam: Procedite ad bellum, jungite eqvos, & ascendite eqvites, & stete in galeis. Per galeam signatur salus, quam homo consequitur à Deo. De his armis virtutum, de qua dicit Apostolus: Galeam salutis assumite. Et Esaias: Indutus justitiâ ut lorica & galea salutis in caput ejus. O quam securus stabis in bello, si his armis fueris circumcinctus, & erit tibi Dominus Deus salutis tuæ salus tua usque ad extremitates terræ. Hac

1. Sam. 17.

Jerem. 46.

4.

Ephes. 6, 17.

Esa. 59, 17.

sunt arma quibus Jacob Patriarcha partem illam tulit Amorrhæi in gladio & arcu, quam dedit filio suo Joseph, quibus & filii Israel terram sanctam exterminatis possessoribus possederunt, & David hostes Regni sui devicit, & Macchabæi civitatem sanctam Jerusalem destructam recuperaverunt, & templum sordibus gentium pollutum interfectis hostibus mundaverunt. O fortissimi milites & bellatores inclyti, induite hæc arma & vindicate injuriam crucifixi Domini, & terram S. Christianis debitam recuperate ab infidelibus occupatam. Confortamini & non dissolvantur manus vestræ in bello. Erit enim merces operi vestro, merces illa, de qua Deus ad Abraham dixit: Ego ero merces tua magna nimis. Si labor vos terret videte mercedem, scientes quod sicut vitia nunquam sunt sine pœna: ita virtutes sine præmio & præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit.

DE USU ARMORUM CARNALIUM ET SPIRITUALIUM.

Sex sunt causæ propter quas utimur armis carnalibus & Spiritualibus: Prima est propter exercitium, ut exercitemur in bellis secundum voluntatem Dei, qui multas gentes dimisit inter filios Israel, ut Israelem & omnes qui non noverunt bella Chananæorum erudiret in eis, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi, quid valeret aliquis in prælio, an exercitatus esset in armis. Undè tempore pacis fiunt torneamenta & ludi alii militares propter exercitium, ne instante bello cum hostes sunt in foribus, aliquis non habens consuetudinem armorum dicat cum David: non possum sic armatus incedere, & ita inermis non possit hostibus obviare. Sed quia militia est vita hominis super terram, ita quam citò venit homo in mundum, intrat campum, pugnaturus contra aëreas potestates: Et arma militiæ nostræ non sunt carnalia,

nalia, sed potentia in Deo. Ideò secundum doctrinam Apostoli debemus induere armaturam Dei i. e. virtutes quæ à solo Deo sunt, qui dat virtutem & fortitudinem plebi suæ, & exercitari in illis, ut sciamus & possimus resistere in die malo tentationis, & ut in nobis virtutes augeantur per exercitiū ut dicit Chrysostomus. Sicut omne artificium corporali exercitatione servatur, augetur & additur: ita omnis virtus per exercitium augetur, per desidiam minoratur. Secunda causa propter quam utimur armis carnalibus est propter hostium insidias. Unde filii Israel timentes insidias hostium assumentes arma bellica federunt per loca angusta itineris & custodiebant totā nocte & die. Legitur & de Juda Macchabæo, quod præcepit filiis Israel, armatos esse in locis opportunis, ne forte ab hostibus repente aliquid mali oriretur. Ad idem utimur armis Spiritualibus, ut dicit Apostolus: Confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus & induite vos armaturā Dei, ut possitis stare contra insidias Diaboli, qui insidiatur vobis quasi leo in spelunca sua. Hic ille leo adversarius noster Diabolus, qui circumit quærens, quem devoret, cui resistere debemus in virtute fidei. Tertia causa propter quam utimur armis carnalibus est propter hostium apertam impugnationem. Unde dicitur in lib. Macchab. quod cum Liffas confidens in militibus bellatoribusque nunquam cogitans potestatem Dei, sed mente effrenatus vellet Civitatem S. Jerusalem & templum Dei destruere, & jam presidium expugnasset Macchabæus sumptis armis & qui cum eo erant. Hoc cognito cum fletu & lacrymis rogabant Dominum ut eis bonum Angelum mitteret ad salutem. Convaluerunt animo & viribus, & irruentes impetu in eos prostraverunt XI. millia peditem ex eis, qui equites M. & V. universosque in fugam verterrunt, plures ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed & ipse Liffas

Ephes. 6. v.

11.

1. Macchab.

4. v. 33.

2. Macchab.

11. v. 12.

TUF-

turpiter fugiens evasit. Hac est causa propter quam fratres
 Domus Teutonice ab interitu terræ Prussie usque in presentem
 diem utuntur gladiis continuè, ut in promptu habeant, quo se
 defendant, si contra eos ab hostibus insurgeret aperta impugna-
 tio vel occulta. Eodem modo utimur armis virtutum contra
 2. Cor. 10. v. 3. apertas impugnationes Diaboli. Unde dicit Apostolus: In car-
 ne ambulantes, non secundum carnem militemus. Nam arma
 militiae nostrae non sunt carnalia i. e. debilia; sed potentia i. e.
 per Deum ad destructionem inimicorum i. e. calliditatem dæ-
 monum, destruentes consilia & opera dæmonum, & omnem al-
 titudinem & profunditatem intellectus extollentem se adversus
 Dei scientiam sive fidem. Semper igitur sis paratus in armis
 virtutum contra impugnationem Diaboli secundum Paulinum
 ad Augustinum: Hostis ille noster mille nocendi habet artes, qui
 tam variis expugnandus est armis quam impugnat insidiis. Si
 te aperte impugnaverit vel occultè vitio superbiae, objicias in
 defensione tua virtutem humilitatis & fugiet à te, sicque facies
 in omni peccato; si armis virtutis oppositæ in defensione tua u-
 teris, victor eris. Quarta causa propter quam utimur armis
 carnalibus est propter pacem, ut possimus bona nostra in pace
 Luc. 11. v. 28. possidere. Unde dicit Dominus: Cum fortis armatus custodit
 atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Sic solum cum
 utimur armis virtutum pacem habemus, quia non est pax im-
 piis. Unde Ecclesiasticus: Homines divites in virtute pulcri-
 tudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, omnes
 isti imaginatione gentis suae gloriam sunt adepti. Unde dicit
 Baruch: Si in via Dei ambulasses, habitasses in pace super ter-
 ram. Quare quoque dicit Salomon, quod placuerit Domino
 Prov. 16. 7. via hominis, inimicos ejus convertet ad pacem. Quinta causa
 est, ut bona perdita recuperemus. Sic filii Israel armis armati
 in

in terram promissionis ascenderunt, quam Deus dederat Patri-
 bus eorum, & occupatam de manibus hostium recuperaverunt.
 Ita per virtutum arma regnum cœlorum quod per peccata ami- *Matth. 11.*
 simus, vim patitur, & violenti rapiunt illud & possident in æter- *v. 12.*
 num. Glossa ibidem. Grandis violentia est in terra nasci, &
 cœlum rapere, & habere per virtutem, quod per naturam habe-
 re non possumus. Sexta causa est propter ostentationem, ut
 hostes visis armis terreantur, ut dixit Judith Holoferne jam in- *Judith. 14.*
 terfecto. Cum exierit sol arripiet unusquisque arma sua, exite *v. 4.*
 cum impetu, non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum
 facientes, ut exploratores Holofernæ hoc audiant & ipsum ex-
 citantes muniant in suo sanguine volutatum, & sic irruet super
 eos timor & fugient. Hinc etiam utimur armis virtutum, ut
 ostendamus, nos esse de ministerio illius, qui est Rex Regum &
 Dominus Dominantium. Ad quod nos monet Apostolus di- *2. Cor. 6. v. 4.*
 cens: In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa
 patientiâ. Et cum per arma justitiæ virtutis Dei sit justitia, quæ
 docet nos unicuique reddere quod suum est, mundum scilicet &
 omne quod in mundo est, relinquere, est Deo adherere, qui in
 suo vexillo, quod nobis deferendum reliquit, posuit signum, de
 quo dixit nato Domino Angelus ad Pastores: Hoc signum in- *Luc. 2. v. 12.*
 venietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio, in
 quo notante tres virtutes scilicet humilitas in infantia contra
 superbiam: Paupertas in pannis contra avaritiam, & austeritas
 præsepîi contra carnis lasciviam. Erigas hoc vexillum & osten-
 ta Diabolo, & irruet super eum timor & fugiet.

CAP. VIII.

*De Primo Castro Fratrum Domus Teutonice,
 quod dicebatur Vogelsanck.*

H

De-

Determinatis armis quæ ad bellum sunt necessaria, revertendum est ad materiam præjacentem. Postquam prædicti Fratres Domûs Teutonicæ, videlicet Frater Conradus & socius ipsius, in terra Pruschia, jam pridem eis à dicto Duce Poloniae collatâ, non haberent, ubi sua capita reclinarent, cogitaverunt à longè accedere, ut inter se & dictos Pruthenos fluvium Wissele haberent medium ad cautelam. Rogaverunt itaqve dictum Ducem, ut eis unum castrum ædificaret, qui tanquam vir totus Deo devotus & fidei Zelator, attendens ad id Poëticum: Dimidium facti, qui benè cœpit, habet, congregavit populum suum & ex opposito nunc civitatis Thorunensis ædificavit eis in quodam monte castrum dictum *Vogelsanck* / qui dicitur Latine *cantus avium*, quia verè fratres cum paucis armigeris opponentes se infinitæ multitudini gentium cantabant canticum tristitiæ & mœroris. Reliquerant enim dulce solum Natalis Patriæ suæ & intraverant terram alienam, in qua futurum erat, ut affligerentur multis annis; nec spes erat tunc, quæ in quarta vel sexta generatione reverteretur illuc. Exiverant etiam terram fructiferam, pacificam, quietam, & intraverant terram horroris & vastæ solitudinis & bello durissimo plenam. Postposita ergo, ut totum concludam, omnium rerum hujus mundi affluentia, libertatis, commodi & honoris. Sc. sitis & famis inedia & humilitatis omnimodæ utilitatem amplectentes utiliter, infinitis incommodis, defectibus & periculis implicabant. Poterant dicere cum Petro: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te Christe, quid ergo erit nobis, quæ corona gloriæ tuæ, in Cœlis ð bone Jesu, qui es corona Sanctorum omnium, coronari merentur à te, qui pro te talia patiuntur? Certè in eis complebitur quod Dominus per Isaiam: Consolabitur Dominus Sion & consolabitur omnes ruinas ejus, & ponet desertum ejus quasi

de-

*Matt. 19. 27.**Marc. 10. 28.**Luc. 18. 28.**Esai. 51. 3.**Zach. 4. 17.*

delicias, & solitudinem ejus horrum Domini: gaudium & lætitia invenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.

ANIMADVERSIO.

(a) Chronicon antiquum Germanico idiomate scriptum his rythmis ex Jerofchino desumptis comprehendit causam nominis hujus;

Er nante sie Vogelsang
Daruff sie namen des Orloys Anfang/
Mit wenig Wapenern frant
Und singen da viel Noten mang/
Nicht der Nachtigalen Klang
Sondern manchen Jammersang/
Als der Schwann singet
So ihn sein Sterben twinget.

Hennebergerus in *Chron. sive in Commentario ad Tabulam Geograph. Prussia*, in voce Diebatw / putat Vogelsang & Nessoviam castra, fuisse sibi è regione opposita, discriminante ea Vistulâ flumine: Sed, ut ex hoc, & proximo capite palam fit, utrumqve castrum ripæ amnis illius occidentali assidebat. Hodiè Vogelsang pagus est cis Vistulam, in Culmensi provincia; Abest à Thorunio duobus circiter miliaribus. De quo Hennebergerus.

CAP. IX.

De

Adventu Plurium Fratrum Domus

Teutonica & adificatione Castri (a)

Nessovia.

ADificato hoc castro Fr. Conradus prædictus, misit nuncios ad Reverendum virum & Religiosum Fratrem Hermannum de Saltza Magistrum generalem domus Teutonice, nuncians

H 2

cians

Jos. 1. 6.

cians omnia, quæ gesta fuerunt circa negotium sibi commissum, petensque humiliter & supplicans, ut plures fratres & armigeros mitteret ei, qui acquiescens precibus ipsius, misit ei fratrem Hermannum dictum Balke in Magistrum, dicens ad eum sicut Dominus ad Josue: Confortare & esto robustus, tu enim introduces filios Israel i. e. fratres tuos, in terram, quam pollicitus est eis Dominus & Deus erit tecum. Item Fratrem Theodoricum de Bernheim in Marschalcum, fratrem Conradum (b) de Tutele quondam Kamerarium (c) Beatae Elisabeth, fratrem Henricum de Berge Thuringum, & fratrem Henricum de (d) Cutze de Villa Witekendorff, cum armigeris, & equis pluribus, in coadjutores dedit ei; qui cum venissent ad Castrum Vogel-sanck, edificaverunt Castrum Nesselviam in descensu Wisselæ. In quo Castro dum Fratres habitarent, Prutheni intraverunt Poloniam hostiliter, & dum viderent fratres in armis, sequentes eos admirati ultra modum undè essent, & ad quid venissent, quibus responsum fuit à quodam Polono, qui captus ab eis ducebatur, quod essent viri religiosi & strenui milites in armis de Almannia per Dominum Papam missi ad bellandum contra eos, quousque duram eorum cervicem & indomitam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ subjugarent. Quo audito subridentes recesserunt.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. IX.

(a) Germanis Nesselw/Polonis Nieschowva, castrum ad Vistulam non procul à castro Vogelsang conditum. Hodic, ut vult Hennebergerus, dicitur Diebau. Si accuratius rem determinare voluerimus, dicendum est, Diboviam hodie dici Podgurze. Nesselviam verò esse Diboviam conterminam, (uno namque milliari à Dibovia abest) appellarique Niesowka i. e. Nesselvia minor, ad differentiam Niesloviam majoris, quæ tribus à Thorunio milliariibus abest.

(b) In-

- (b) Intelæ habet Jerofchinus. Alii legunt Juæle.
- (c) S. Elisabetha Andreæ Hungariæ Regis filia, nata An. 1207. & non multò post adhuc in cunis Ludovico Landgr. Thuringiæ & Hassiæ (Hermanni Landgravii filio, & Conradi Landgr. Thuringiæ & Hass. Magistri Ordinis Teutonici fratri) desponsata, cui etiam postea nupsit. Obiit An. 1231. Relata in numerum Sanctorum An. 1235. à Gregorio IX. Pontifice Perusii in Conventu Fratrum Prædicatorum. Scripsit Conradus de Marpurg S. Elisabethæ vitam, quam edidit Leo Allatius *lib. I. c. 11. p. 269.* Fusius Elisabethæ historiam prosecutus est Dietericus Sacerdos Fr. Ord. Prædicatorum natione Thuringus, cujus initium fecit An. 1289. Habetur hæc Historia octo libris comprehensa adhuc MS. in Bibliotheca Electorali Regiomontana, quamvis eandem & Canisius *Tom. V. Antiqu. Lest.* ediderit. Scripsit etiam de S. Elisabetha Jacobus Montanus Spirensis apud Laur. Surium *Tom. VI. ad 4. Decembr. Conf.* & Historia Euphordiensis *Anonymi cujusdam à Pistorio editæ Cap. 47.*
- (d) Von Ziß/von Wittendorff derselbe hieß. habet Jerofchinus.

CAP. X.

De

*Fratre Hermanno Primo Magistro
terra Pruschiæ Ordinis Domûs Teu-
tonicæ.*

FRater Hermannus dictus (a) Balke Hospitalis S. Mariæ Domûs Teutonicorum Hierosolymitani Magister I. in terra Pruschiæ præfecit Annos XII. Hic etiam fuit primus Magister terræ Livoniæ, ubi cum præfuisset fermè VI. annis & utramque terram ad bonum statum deduxisset, & benè prosperatum fuisset bellum in manu sua, ut inferius apparebit, gravatus senio & labore, reversus fuit (b) in Almanniam, ibique mortuus & sepul-

H 3

tus.

tus. *Quam gloriosus iste fuerit in omnibus factis testantur Magnifica facta.*

ANIMADVERSIONES.

AD CAPUT X.

- (a) Ab aliis hunc Magistrum dictum fuisse *Salce* testatur *Balth. Russov part. II. Chron. Livon. initio.* & suspicatur eum sic dictum fuisse ob fortitudinem & res præclare gestas.
- (b) *Simon Grunovius* dicit *Hermannum* à *Balke* objisse An. 1238. sepultumque esse in *Zantir*. *Vid. Granov. tract. 2.* Sed quicquid sit de anno mortis; in *Zantir* non potuit sepeliri, quia tunc urbs illa nondum fuerat condita. *Vid. infra Cap. XLIV.* Notandum verò hic est in *Annis Magistrorum tum Generalium tum Provincialium* nihil esse certi. Quoniam enim *Dusburgius* noster certum annis ab ingressu Fratrum Ordinis Teutonici in *Prussiam* *Chronicon* suum scripsit, nullosque antè se habuit eorum temporum *Scriptores*, facile potuit aberrare. *Sequentium temporum* *Scriptoribus* prior adhuc fuit ad lapsum via. Et licet aliquando curiosius, annos quidam annotarint, conqveritur tamen de illis *Simon Grunovius* quod anni illi in *Codicibus* vetustis, quoniam fuerunt *cyfris* consignati, mirè fuerint corrupti, indè veniam sibi dari postulat, si in assignandis annis aberraverit. *in præfat. ad Hist. Pruss.* Quinimò non de *Annis* tantum *Magistrorum* hoc est intelligendum, sed de ipsis quoque *Magistris* hoc verum esse animadvertet, qui antiqua *Chronica* perlustrabit. *Vide quæ infra ad vitam Conradi Landgrav. Thuringia & Hassia; item ad vitam Popponis deosterna Cap. 29. & in Incidentibus ad Cap. 69. notavimus.*

CAP. XI.

De

Cruce & Indulgentia Crucesignatorum terræ Pruschiæ & Livonia.

FR. Hermannus de Saltza Magister generalis vir providus & in

in omnibus circumspēctus, medio tempore, quo supra dicta agerentur misit ad Dominum Papam & inter alias petitiones petivit & obtinuit (a) crucem prædicari in regnis & Provinciis à sede Apostolica tunc deputatis in subsidium terræ Pruschiæ, deditque idem Papa & postea Innocentius Papa IV. peregrinis Pruschiam & Livoniam visitantibus privilegia & indulgentias, sicut euntibus Hierosolymam conceduntur.

Explicit Secunda pars Libri.

ANIMADVERSIO.

(a) Constantinus Magnus primus inter Imperatores Romanos Christianus vidit aliquando tempore meridiano signum crucis in Cælo cum inscriptione: In hoc vince, monitusque per quietem, ut eo signo tanquam præsidio in præliis cum hostibus committendis uteretur. Paruit salutari monito, labarumque cruce exornatum semper sibi præferri iussit in prælio, ut testantur Euseb. *lib. I. de Vita Constant. Cap. XXII. & seqq.* & Sozomen. *lib. I. Hist. Eccl. Cap. IV.* Hunc laudabilem morem imitatus Adrianus II. Pontifex Rom. sub finem Sec. XI. cum contra Saraënos in terram Sanctam esset expeditio suscipienda, vestibus illorum, qui sacre huic militæ nomen dederant, signum sanctæ crucis super scapulam dextram imprimi iussit. Vid. Petrus Diaconus *lib. IV. Chron. Cassinensis Cap. XI.* Solebant autem cruces illæ fieri ex Serico, ut ex eodem loco Petri Diaconi apparet. Solebat etiam color crucis variari, ut discerni posset, cujus Principis illi milites essent. Vid. Henr. Spondanus *ad An. 1188. n. 11. pag. 1071.* Item hoc etiam observari consueverat, ut ab expeditione hac, contra hostes Christi susceptâ reversi crucem ad collum suspensam indultu Pontificis gestarent. Vid. Spondanus *ad an. 1191. n. V. fol. 1074. col. 2.* Ejus generis cruce signati etiam fuerunt, quorum hoc loco fit mentio. Nam & illi dicti modo contra infideles, hostesque religionis Christianæ fuerunt exciti. Conf. Christoph. Besoldus *in Serie Regum Hierosolym. Cap. 11. p. 68. seqq.*

IN-